



nos. B

25



THEOREMATVM ANTHRO-  
POLOGICORVM  
EXERCITATIO OCTAVA

*De*

MEDIA CAVI-  
TATE

*Quam*

Auspice Christo,


PRAESIDE viro Clarissimo

Dn. M. IACOBO MAR-  
TINI, HALBERST. SAX. LOGIC.  
PROFESSORE ORDINARIO

*In Inclyta VVitebergensium Academiã exami-  
nandam & ventilandam proponit*

ADAMVS TETTELBACHIVS AV-  
strio-Carlsteinensis.

*Habebitur 20. Febr. horis pomeridianis  
loco solito.*



VVITBERGÆ,

*Excudebat Johann. Schmidt, Anno 1605.*

*Reverendâ dignitate, eruditione præcellenti, in-*  
*tegritate vita conspicuâ, aliisq; virtutum ornamentis*  
*præclarissimus viris*

**Dn. HENRICO TETTELBACHIO,**  
S. S. THEOLOG. DOCTORI, ECCLESIAE VEL-  
burgensis Pastori, & vicinæ diœceseos Superintendenti vi-  
gilantissimo, Patruo suo parentis loco æ-  
ternum colendo.

**Dn. M. IOHANNI PLANCO,** IL-  
lustris Gymnasij Palatini Lauingani Professo-  
ri fidelissimo, præceptori & affini  
suo meritissimo.

**Dn. MELCHIORI TETTELBA-**  
chio Dinckelspulensi civi honestissimo, & sacro-  
rum Ecclesiæ ibidem Evangelicæ curatori fi-  
delissimo, agnato suo plurimum  
honorando.

**Dn. M. IOHANNI TETTELBA-**  
chio Ecclesiæ Braunsdorffensis Pastori, nec non  
Illustris Herois Dn. ADAMI Domini de Buchaimb. L.  
Baronis in Rabs & Crumbach &c. Concionatori  
Aulico, Germano suo dile-  
ctissimo.

*Exercitium hoc Anthropolog.*

*In grati animi τεκμήριον & novi anni*  
*felix auspiciam*

*Dicat.*

**ADAMUS TETTELBACHIUS**  
Respondens.



## Continuatio.



**V**ersamur in contemplatione interi-  
 orum partium organicarum, quæ ab Anatomicis  
 in tres ventres sive cavitates divisæ sunt: ratione  
 verò subiectorum & continentium hunc in mo-  
 dum commodè distinguuntur: *Cavitas* vel in *trun-*  
*co* est vel in *capite*: *cavitas* in *trunco* vel est in infe-  
 riore eius parte sive intra abdomen vel epigastri-  
 on & hypogastrium, quæ infima *cavitas* dicitur: vel est in superiore si-  
 ve intra thoracem, & media appellatur. *Cavitas* intra caput locata,  
 suprema dicitur. De infima *cavitate* continentia instrumenta nutri-  
 tioni & generationi destinata præcedente exercitatione satis actum  
 est: de suprema virtutes & instrumenta tactus & motus suppeditan-  
 te in sequenti differetur: de media thoraci inclusa hac exercitatione  
 cum Deo benè iuvante inquiretur.

### THEOREMA I.

Media *cavitas* est, quæ thorace conclusa, in-  
 strumenta vitæ & facultatis vitalis largitur.

*Ita breviter mediam cavitatem describimus: cum enim præcedens infi-*  
*ma contineat membra facultati duntaxat naturali inservientia, nempe*  
*quibus anima nutrimentorum concoctiones ac distributiones, superfluita-*  
*tumq; excretiones perficit (quæ facultas homini cum animatis non sentien-*  
*tibus, herbis stirpibus &c. est communis;) hæc media cavitas ea continet*  
*instrumenta, quæ vitam hominis & animalium reddunt longe nobilio-*  
*rem & præstantiorem, nempe propter diviniorum, quem spiritum vitalem*  
*appellamus, qui in non sentientibus ut herbis & arboribus &c. non repe-*  
*ritur. Considerantur autem in hac cavitate primum communes membranæ:*  
*deinde organa ipsa membranis illis contenta.*

A 3

THEO-

THEOREMA II.

Diaphragma est membrana carnosæ, muscu-  
losa, ampla, orbicularis, inserta infimæ thoracis  
parti, discernensq; infimam cavitatem à media.

1. De membranis communibus priore loco agemus, quæ sunt vel  
distinguentes vel circumdantes. Distinguentes sunt Diaphragma &  
Mediastinus. Diaphragma ita à discretionis officio denominatur: unde  
etiam interstitium vel septum transversum, quod naturalia membra à vi-  
talibus per transversum tanquam sepes distinguat: Plinius præcordia vo-  
cavit, quòd cordi prætendatur. Dicitur etiam veteribus Medicis φρέ-  
νεις. leso enim hoc panniculo leditur etiam ipsum cerebrum propter cognæ-  
tionem, & oritur inde φρένιτις.

2. Substantiam diaphragmatis exprimimus quando illud membra-  
nam carnosam & musculosam finimus. Constituunt enim id duæ mem-  
branae carnea, musculo & nervis ad motum necessariis donatae. Figuram  
eius & formam describunt subsequentiæ verba: quod sit membrana am-  
pla, orbicularis, inserta infimæ thoracis parti: figura enim eius orbicu-  
laris est, habetque in medio nervum tendinem. Oritur verò ad finem  
pectoris, ubi desinit in mucronatam cartilaginem: sua deinde extremitate  
costarum mendostrarum terminis sive cartilaginibus adnascitur, & tan-  
dem spinam attingit, cui ad latus corporis vertebrae duodecime thoracis  
per duo ligamenta validissima inseritur. Hoc septum licet nobile sit, ni-  
hilominus necesse fuit, ut aliis nostri corporis partibus cederet, & accom-  
modaretur. Quare duobus præditum est foraminibus: primum est in de-  
xtero latere, per quod vena cava ascendit, qua sanguis ad cor trahitur: al-  
terum aliquantò inferius in latere sinistro est, per quod descendit Oesopha-  
gus ad ventriculum. His duobus tertium addit Vesal. & D. Philip-  
pus vicinum duodecimo spondylo transmittens ramum Aortæ descenden-  
tem, & venam ἀζυγον. Verum Columb. lib. 5. de Musc. c. 21. illis  
contradicat. Nam, inquit, ipsa arteria Aortæ transit corporibus verte-  
brarum adhærens. Itaque septum dum vertebrae amplectitur, arte-  
riam quoque amplectitur, non tamen propterea perforatur.

3. Finis & usus huius septi transversi est 1. ut cavitatem mediam tan-  
quam nobiliorem ab inferiore distinguat, illiusque partes & organa muniat.  
Deinde

Deinde ut moveat thoracem, quoque moto etiam pulmo moveatur & naturalem respirationem perficiat, attrahendo & emittendo aerem. Denique ut motu suo expulsionem intestinorum promoveat. Experimur enim & sentimus in difficili alvi egestione retento spiritu motum quendam & conatum fieri circa precordia.

### THEOREMA III.

Mediastinus est membrana duplicata mediam cavitatem in duas præcipuas amplitudines distinguens.

1. Ut diaphragma mediam cavitatem ab infima distinguit: ita Mediastinus illam ipsam in duas amplitudines dividit: unde etiam à mediando Mediastinus dictus est. Veteres hæc interstitia nominarunt ὑμένας διαφράσσοντας μέσθον τὸν θώρακα membranas intersepientes medium thoracem: item dissepimentum.

2. Dicimus quòd sit gemina membrana, sunt enim gemini panniculi ad dorsum coniuncti & contigui, ad pectus verò, parte nempe anteriore distantes tanta distantia, quanta latitudo est sterni sive ossis in pectore. Distinguit porro mediam cavitatem in duas amplitudines. Dividunt enim hæ membrane thoracem & pulmonem secundum longitudinem per medium in dextram & sinistram partem, ut gemina sit spirationis copia, ut altero latere laeso & languefacto, alterum tamen sit in officio. Quæ prima Mediastini utilitas est. Altera ut cor cum capsula sua custodiat & conservet, ne à sede suâ facile excidat in magnis præsertim commotionibus.

### THEOREMA IV.

Pleura est panniculus intra diaphragma, universam thoracis superficiem integens.

Distinguentes membrana fuerunt: circumdans sive tegens est pleura, quam Gal. vocat ὑφεζωκότα χιτώνα succingentem panniculum, substantia eius subtilis est & nervosa. Figuram quod spectat, extensa est, talisque, qualem ipsa interna thoracis superficies refert: introrsum verò omnes costas & musculos inter costas vestit & circumdat. Oritur hic morbus qui

πλευρίτις dicitur, quando nimirum ad membranam hanc humores adfluunt inflammanturque & putrescunt. Usus panniculi huius precipuus est, ut totam thoracis internam cavitationem levem & lubricam efficiat, ne nulli pulmones offendantur asperitate.

#### THEOREMA V.

Capsula cordis est membrana simplex, nullis intertexta fibris, sed firma & valida, figura nucis pineæ, intus cavitationem habens quæ cordis domicilium est, orta ab ipsis venarum & arteriarum tunicis, quæ per hanc membranam ducuntur alligata parietibus Mediastini & Diaphragmatis firmis nexibus.

Organa mediæ cavitationis sunt vel principalia, vel minus principalia. Organa principalia sunt Cor & Pulmo. Cordis primum involucrium videndum est, tum propria ipsius natura. Involucrium illud dicitur περικάρδιον & χιτών Capsula cordis, involucrium cordis, item simpliciter περικάρδιον. Definitio loco theorematis posita est D. Philippi, in qua essentia, formaque sive figura luculenter & expedite describitur. Est enim membrana crassa, dura & firma effigiemque nucis pineæ referi cum basi orbiculari & obtuso mucrone, ut nimirum figura cordis respondeat quod universum cum suis auriculis & vasorum initiis instar cuiusdam arcule undique cingit, ita tamen ut Cor intervallo certo & equali undique ab eo distet, præterquam in basi, ubi per vasa ei adheret, ut Cor facilius liberiusque palpitet & pulset. Natura arcam hanc intus planè levem fecit, humoreque aqueo quodammodo tamen rubente oblinivit eo fine, ut Cor in tam assiduo motu tantoque calore irrigaretur. Situs eius est intra duas Mediastini membranas in medio fermè pectore: equaliter enim distat & à sterno & à vertebris spine dorsi, & tandem à dextris & sinistris costis, nisi quod eius apex sive mucro antrosum & sinistrosum nonnihil declinet. Usus eius & finis est, ut sit cordis munimentum, idque sua sede locatum conservet & contineat, prohibeatque ne à pulmonibus vicinis opprimatur, & tandem irrigationem & humectationem Cordi necessariam suppeditet.

THEO.



THEOREMA VI.

Cor est viscus princeps non medii ventris tantum, sed, quod ad vitam spectat, totius corporis, quod à naturâ est constitutum & ordinatum ut sit fons & dominus vitæ, continendo in se conservandoque calorem perpetuum & spiritum vitalem, eumque toti corpori & omnibus eius partibus pulsu continuo per arterias communicando.

1. Sequitur nunc ipsa Cordis natura consideranda. Cor consideratur vel in substantia vel in affectionibus. Substantie consideratio vel est generalis vel in partibus. Generaliter consideratum Cor est membrum organicum & dissimulare, constatque certa quadam, ac sui generis carne, omni carni in reliquo corpore dissimili. Est enim spissa, solida & bene compacta, multisque fibris arctissime intricatis intertexta, ne vel à calore immodico, vel à continua agitatione facile ledatur. Figura cordis pyramidem, vel conum, vel nucem pineam utcunque imitatur. Superficies externa levis est & equalis, præterquam quod coronalis vena arteriarumque surculi parum extuberant, ut & adeps. Basis eius medium pectoris tenet, mucro autem nonnihil ad sinistrum latus erigitur infra levam papillam, ubi deprehenditur insignis pulsatio. Aristoteles lib. 3. de part. anim. cap. 4.

2. Partes cordis quod attinet, duplices illas habet: exteriores & interiores. Exteriores sunt auriculæ, que sunt membranule venosæ ob sinuum introitus ad basin cordis posite, arteriam venosam & venam magnam fulciantes. Sunt due, dextra & sinistra. Auricula dextra in dextro basis est latere, ubi vena cava sanguinem in Cor infundit propterea addita, ut sit diverticulum & promptuarium sanguinis. Cor enim in pulsu contractum exprimit atque elidit sanguinem. Ne verò propterea omni omnino sanguine privaretur, reservatur aliquis in hac auricula sive receptaculo, donec Cor iterum dilatatum sanguinem recipiat. Deinde ne Cor distentum inter pulsandum satis valido motu in dextrum suum sinum sanguinem attrahendo cavam venam ledat, neque hæc divulsionis periculum in tanto Cordis impetu incurrat, ab auriculâ hæc dextrâ roboratur. Auricula

Auricula sinistra in sinistro latere est, ubi arteria venosa cordi aerem inspiratum advehit, propterea addita ut aerem contracto corde excipiat, eundemque dilatato Cordi reddat, adeoque arteria venosa auxilietur. Est auricula haec minor dextra, sicut & sinister cordis thalamus minor quam dexter, & orificium arteria venosae minus, quam venae caeve.

3. Partes cordis interiores sunt duo cordis ventriculi seu thalami, sive sinus dexter & sinister. Interstitium, quod thalamos hosce distinguit, non tertium ventriculum constituit, ut arbitratur Philosophus l. 1. hist. Animal cap. 17. est enim crassum & firmum, & ne quidem meatus per illud facti conspici possunt, sed sanguis in alterum ventriculum per angustissimos poros exudat. Dexter κοιλία αιματική & φλεβώδης, hoc est, ventriculus sanguineus & venosus dicitur. Ex cava enim vena sanguinem excipit, quem preparat & perficit: atque propterea ut sanguinem facilius contineat, sinistro maior est magisque mucronem cordis attingit, substantia quoque multo tenuior & mollior. Sinister nominatur κοιλία πνευματική & αρτηρώδης hoc est, spirituosus & arteriosus. Nam aerem inspiratum, & optimam magisque aeream & tenuiorem sanguinis partem è dextro ventriculo recipit, ex qua vitales spiritus conficit, illosque unà cum virtute vitali universo corpori per arterias communicat. Vnde etiam sublimior est dextro, item densior & crassior, ne subtilissimus ille sanguis vel spiritus vitalis, qui tenuissimus est extra resudet. Ut autem dexter sanguinem ex epate accipit: ita sinister hic aerem ex pulmonibus attrahit, quo ad caloris refrigerationem & recreationem utitur.

4. Affectio porro sive effectus cordis est eius motus vel naturalis vel violentus. Naturalis motus est pulsus & affectus. Pulsus est motus cordis, quo dilatantur & contrahuntur ventriculi, ut materiam attrahere, & iterum reddere & exprimere possint, qui motus sic quadam cordis naturâ, neque à cerebro vel nervis regitur: sed propriae sunt cordis fibrae huius motus rectrices: quae sunt in triplici differentia: Rectae, transversae, & obliquae. Fibrae rectae mucronem ad basis centrum attrahunt, & ita efficiunt eius dilatationem: Transversae verò Cor à basi ad mucronem deducunt, atque ita Cor in latum & longum concitant. Obliquae quieti inserviunt. Fit itaque motus & pulsus hic per dilatationem & contractionem. Dilatatio δίασολή dicitur, qua Cor ex venâ cavâ & auriculâ dextrâ sanguinem in dextrum ventriculum suum attrahit: aerem verò ex venosâ arteriâ & auriculâ sinistra in ventriculum suum sinistram. Contractio  
cordis

cordis  $\delta\upsilon\sigma\omicron\lambda\acute{\alpha}$  vocatur, qua cor ex dextro suo ventriculo sanguinem ad auriculam dextram & venam arteriosam exprimit, ut ad pulmones deferantur. Aerem verò ut & spiritum vitalem sanguinemq; tenuissimum ac spumosum ex ventriculo sinistro ad sinistram auriculam emittit in Aortam omnesq; arterias, ut inde toti communicetur corpori. Fumosum quoq; excrementum per arteriam venosam evacuat. Unde conspicuum est quòd cor sit liberalius largiendo, quàm avidum accipiendo.

Aliæ sunt Pulsus differentie, ut cum est magnus, parvus, velox, tardus, frequens, rarus, intermittens, vermiculans, &c. quæ ad Medicorum doctrinam pertinent.

5. Affectus est motus cordis sequens notitias & cogitationem, prosequens aut fugiens obiectum; & consistit vel in dilatatione, vel in compressione. In dilatatione quidè hic modus perficitur in leticia, quando cor sentit suavitatem & voluptatem. Compressione verò in mœstitia, quando cor dolorem sentit, & torrescit atq; destruitur. Verum hac de re pluribus agetur in  $\psi\upsilon\chi\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$ .

6. Violentus cordis motus est tremor, in quo nec vera dilatatio est, nec vera contractio, quiq; aliunde incussus cordis inclinatione minimè adiuvaritur.

#### THEOREMA VII.

Pulmo est spiramentum Animæ, quo caloris nativi & cordis refrigerium molitur.

1. Primum Organum principale mediæ cavitatis, nempe Cor, fuit hætenus: sequitur nunc alterum Pulmo, qui quare cordi superaddatur exposita definitione manifestum est, nimirum propter refrigerationem cordis & euss caloris: quod fit inspirando & expirando. Inspirando quidem per arteriam asperam Pulmo trahit aerem, & recipit per brachias, è quibus ille intra venalem arteriam transsumitur, atq; ad ipsum Cor defertur. Expirando verò aerem superfluum, quo cor non indiget, expellit, simulq; cum eo evellit fumos fuliginesq; cordis, quæ retente suffocationem animali adferrent. Per eandem enim arteriam venalem fuliginose cordis superfluitates deferuntur ad pulmonem: à pulmone porrò per expirationem emittuntur foras. Unde pulmonem concinnè vocavit Plato in Timæo  $\acute{\alpha}\lambda\mu\alpha\ \mu\alpha\lambda\alpha\kappa\omicron\nu$  molle vertilabrum sive mollem saltum, quo, ut censet D. Philippus & substantiam & officia breviter significare voluit. Aliàs Græcis dicitur  $\pi\nu\acute{\epsilon}\upsilon\mu\omega\nu\ \grave{\alpha}\ \omega\nu\acute{\epsilon}\alpha\iota$ , inspirando: Est enim  $\acute{\alpha}\nu\alpha\pi\nu\epsilon\upsilon\sigma\iota\kappa\omicron\nu\ \omicron\gamma\gamma\alpha\gamma\omicron\nu$ .

B

2. Sub-

2. *Substantiam eius quod attinet, est illa πᾶσι γυμνα effusio & concretio quædam sanguinis spumosi ad vasa, levis, rara, mollis, spongiosa. Rara & levis est ut facile dilatetur: Spongiosa est ut multum aeris concipiat: Mollis, ut mollem sedem sive appulsam præstet cordi. Est etiam tanta eius magnitudo, ut totius pectoris spacium (illo excepto, quod Cor occupat) aere distentus redeat, idq; in viventibus: in mortuis enim collapsus flaccescit. Figura pulmonis unguulam bovis imitatur. In duas enim partes à Mediastino dividitur, unde Latini plerumq; pulmones plurali numero vocant. Utraq; etiam eius pars in duos potissimum lobos distinguitur in hominibus, in brutis verò quinq; vel sex, vel etiam plures reperiuntur.*

3. *Utilitas pulmonum duplex est: prior est, quod inserviant respirationi, quæ fit hunc in modum. Principium motus est à cerebro, quod diaphragmati musculisq; intercostalibus communicat vim motivam: Diaphragma thoracem contrahit: contractus thorax pulmones comprimit. Et contra dilatato iterum thorace dilatantur quoq; & relaxantur pulmones, ne inter thoracem & illos relinquatur vacuum. Quare autem respiratio hæc sit necessaria, intelligitur ex illis, quæ iam dicta & proposita sunt. Posterior utilitas est quod voci inserviant: quod inde manifestissime apparet, quia nullo animal pulmonibus carens vocem edit. Vox verò sonus est instrumento animalis editus: instrumenta tandem vocis sunt pulmo, aspera arteria, & lingua. Quia verò posteriora duo propriè sunt φωνητικὰ & vocalia instrumenta, de formatione vocis in horum explicatione agemus.*

## THEOREMA VIII.

**Organa minùs principalia cordi servientia sunt, in dextro thalamo vena cava, & vena arterialis: in sinistro arteria venosa & arteria aorta.**

*Principalia mediæ cavitatis organa fuerunt: sequuntur minus-principalia: quæ serviunt vel cordi vel pulmonibus. Servientia cordi vel in se considerantur, vel eorundem appendices observantur. Servientia cordi in se considerata adjuvant actionem cordis vel in attrahenda vel evehenda materia, idq; vel in dextro vel in sinistro cordis ventriculo. Organum in dextro ventriculo attrahens est vena cava ab epate ad cor ascendens,*

dens, per quam sanguis in cor transfunditur. Evehens est vena arterialis, que vena dicitur ab officio, vehit enim sanguinem leviolem & subtiliorem in pulmonem, ut pulmo eodem nutriatur: arterialis verò à substantia vocatur: habet enim tunicam arteriis similem, hoc est, multò crassiolem, quàm alie vene, scilicet ut tenuem illum sanguinem eò meliùs retineret, neq; ille exhalaret: deinde ne pulmo ex ea plus sanguinis raperet, quàm esset utile, quod facile perficeret, si tunica huius vene fuisset tenuior & sequacior propter continuum motum iùm suum, tùm cordis.

2. Sinistri ventriculi organum advehens est Arteria venosa; que arteria dicitur ab officio, quia ex pulmone aerem affert temperatum & preparatum in sinistram cordis thalamum, cui adhuc alterum addunt, nimirum, quod per illud cor fuliginosas saperfluitates, que in coctione cordis exhalant, aeremq; nimis calidum à se reijciat, forasq; emittat, expellendo illum è ramulis arterie venose in ramulos asperæ arterie. Verùm officium & usum hunc Realdus Columbus planè rejicit libr. 7. de corde & arter. pag. 178 Edit. Venet Certò, inquit, existimant in corde ea fieri, quæ in caminis assolent, quasi in corde viridia ligna existant, quæ dum cremantur, fumum edant, Ego verò oppositum prorsus sentio: hanc scilicet arteriam venalem factam esse, ut sanguinem cum aere à pulmonibus mixtum afferat ad sinistram cordis ventriculum, quod tam verum est, quàm quod verissimum: Nam non modo si cada vera inspicias, sed si viva etiam animalia hanc arteriam in omnibus sanguine refertam invenies. Ex sententia itaq; Columbi sanguis in pulmonibus attenuatus per arteriam hanc venosam in sinistram cordis thalamum defertur, ex quo deinde Spiritus vitalis generatur. Dicitur porrò arteria hæc venosa à substantia venis simili, eque enim tenuem atq; venæ habet tunicam.

3. Sinistri ventriculi organum evehens est Arteria magna, sive Aorta, que ex sinistro cordis thalamo originem trahens omnium arteriarum in toto corpore stipes est, & per illas tanquam per alveolos precipuum cordis beneficium in omnis corporis partes deducit, & derivat; spiritum nempe vitalem, sive flammam vivificam, suo calore omnia membra foventem, actionesque illorum adjuvantem. Nomen hoc Aortæ non tantum Aristoteli, sed Hippocrati quoque ante Aristot. usurpatum fuit

fuit, derivatum illud volunt ab ἀεὶ ἄνω vel ἀεὶ ἰσῶ sive ἀίση, elevo, tollo, sus-  
pendo: alii dici putant ἀόστῆν quasi ἀεὶ ὄσθη quod ob magnitudinem ma-  
nifesto sit conspicua tam in moriuis, quam in vivis animantibus. Aorta por-  
rò paululum extra Cor porrecta dividitur in duos grandes ramos, quorum al-  
ter maior, minor alter existit. Maior ille est, qui descendit, quoniam  
maior corporis pars illi vivificanda erat: minor ascendit, qui spiritum vita-  
lem superioribus membris advehit.

#### THEOREMA IX.

Appendices enumeratorum vasorum sunt o-  
stiola adeò exilia ut difficulter oculis iudicari pos-  
sint.

Ostiola canalibus addita vocamus appendices: sunt enim quadam  
quasi additamenta inservientia & cordi & vasis. De quibus Columb. li.  
7. de corde & arteriis pag. 179. edit. Venet in hæc verba loquitur: Ostio-  
la, inquit, venæ cavæ, nec non arteriæ venosæ ab interiore situ foras  
feruntur, ut sanguinis emissioni serviant: aliorum verò duorum vaso-  
rum ostiola contra ab exteriori intrò, ut ad inclusum sanguinem con-  
tinendum facta esse videantur. Illud insuper annotato ea ostiola, quæ  
intus foras panduntur, quibusdam filamentis referta esse, hac illacque  
per ventriculos dispersis, quæ propterea facta sunt, ut ipsa contine-  
ant firmentq; quibus fortè deceptus est magnus Aristoteles, qui fila-  
menta hæc, quæ dixi, nervos esse opinatus est; hincque factum est, ut  
Aristoteles Cor nervorum principium esse scriptum reliquerit, & per-  
consequens sensus motusq;.

#### THEOREMA X.

Organum pulmoni insertum ei que modo in-  
serviens peculiari est aspera arteria, quæ primum aë-  
rem accipit, illumque in pulmonem defert: rur-  
sumque ex pulmone fumosum excrementum eve-  
hit, nec non voci inservit.

I. De trachea hac arteria supra quoque actum est Exercit. 4. §. 9. Quis  
eius usus hoc loco sit ex theoremate manifestum est. Substantiam  
quod spectat, constat etiam ex superioribus eam compositam esse par-  
tim ex:

tim ex membranis ut moveri laxarique & astringi possit quando acci-  
pit & emittit aerem; partim ex cartilaginibus, quò sit firmior & durior, ut  
in ea aer repercutiatur ad sonum vocemque formandam. Unde etiam  
longior est, verum non primario propter respirationem, quandoquidem  
suffecisset alius & quidem brevior meatus ad pulmonem; sed propter vocem  
formandam: atq; ob fistulam hanc collum quoq; factum esse videtur adeò ut  
nullum animal collo destitutum (licet sonum vel alarum motu, vel crurum  
attritu vel aliis modis edat) vocem edere possit, cum simul aspera arteria  
& larynge destituatur.

2. Suprema huius canalis pars Larynx dicitur constans tribus carti-  
laginibus: de prioribus duabus hic nihil, quippe de quibus supra satis. Tertia  
cartilaginis constructio rimam efficit Græci γλωττίδα, Latini lingulam  
vocant, quia propriissimum & proximum vocis est organum, atque per ean-  
dem ad pulmonem & Cor aerem attrahimus, iterumq; expiramus. Late-  
ra cartilaginis huius circa dictam rimam possunt & contrahi & dilatari, ita  
ut rimam fiat vel angustior vel amplior prout postulat vel aeris multitudo  
admittenda, vel vocis efformande & moderande ratio.

3. Ad primam itaque & rudem vocis efformationem requiruntur  
pulmones, trachea arteria & larynx. Vocis materia est aer, qui primum  
in pulmonibus contentus, & deinde ex iisdem compressis in asperam arte-  
riam efflatus in larynge colligitur, atque ita ex amplo spacio occurrens corpo-  
ri mediocriter duro vocem moderatam generat. Quæ vox deinde à tota  
oris cavitate palato, lingua, dentibus, labris naribusque amplius informa-  
tur, suamq; perfectionem sortitur. Ad vocem verò articulatam forman-  
dam homini præcipuè data est lingua, quæ sola efficit ut ex hominis ore ser-  
mo, ex reliquarum verò animantium tantum vox audiatur. Atque hoc  
respectu etiam de lingua hoc loco nempe in media cavitate agi  
solet. Atque sic est cavitas cor-  
poris media.

## Quæstiones.

1. An cor lienis beneficio refrigeretur? Nega-  
mus cum Vesalio lib. 5. cap. 9. in fine. Neque enim

B 3

is cor

is cor contingit, & si quod illi innatum est frigus, lienis arteria id ad cor haud adducerent.

2. An cor humanum vero osse careat? A.

3. An pulmonis occasione dexter cordis ventriculus sit creatus? Affirmatur & demonstratur per animalia pulmonibus carentia, quod eadem quoque dextro cordis ventriculo destituantur.

4. An ratio Aristotelis, qua probat pisces non respirare, quod pulmones non habeant, sit firma & vera? Affirmamus si de univoca, vera, & non equivoca vel analogâ respiratione intelligatur.

### P A R E R G A.

1. Cur homines vivi sint leviores, graviores mortui?

2. Cur corpora jejuna graviora, repleta leviora?

3. An vita aliquandiu produci possit? Affirmamus cum Marsilio Ficino: sed oleum illud Minervæ, cuius merito propagatur, quærimus.

4. An juvenus pharmacis revocari possit? Nemo agytra hoc nobis persuadëbit.

5. An senectutem juventæ rectè præferat senex Cicero? Nos præ senectâ juventutem juvenes laudamus.

Ad



## AD DN. RESPONDENTEM.

**P**hæbus in acclivi dum tramite sudat, & agros  
rotis hiulcat igneis;

Occipit ire salutatam vepreta corruscans  
notis lacertus horridis.

Sic te, qui doctus docto sub **PRÆSIDE** sudas.

& φύσεως sacra appetis,

(auguror) è latebris serpens ore impetet atro

& Ponticum venenum alet:

Verum ego non Plauti ciccum heic interdum **AMICE**

non plumulam levem anseris.

Namq; quid excelsò sub fornice circus, agrestis

formiculae curat minas?

Ergò velut pergis, perge, hic tibi proderet olim

labor ἰπολόγ, te dabit.

Iacobus Herenschmidt Oetingensis suevus.

### AD

## AD AMVM TETTELBACHI-

## VM RESPONDENTEM CONTVBER-

## nalem suum amicissimum.

**E**ργα θεωρῆσαι φρονιμὸν θαυμάσῃ θεοῖο.  
κτίσματα γὰρ κτίσῃ γνῶσιν ἅπαντα φέρει.

ἢ δὲ βροτῶ σκέψις πασῶν ἀντάξιον ἄλλων  
δεικνυμένη θείῃ ἐσὶ μάλις νόσ.

τὰντῃ Ἀδὰμ φίλτισε τεὰν παρέχων διάνοισιν

ὑψίστης σοφίης σεμνὰ δέμεθλα βάλῃς.

Βάσλ' ἴθι εὐτυχέως μάθε νῦν τὸ γνῶσι σεαυτοῦ,

κῆνο τεκῆν πάντως ἄνδρα τέλειον ἔφυ.

φρατρίας ἕνεκα ἔργ.

Johannes Jacobus Lempius Nordl.

Philos. Stud.

## F I N I S.

AD. DO. RESPONDENTEM

Prälimin. in hiesiger Universität, den 17. April 1771.

Sehr geehrter Herr Professor!

Ich habe die Ehre, Ihnen zu danken, dass Sie mir

die von Ihnen geschickte Handschrift

von dem Buche: "De rebus in rebus"

empfangen haben, und für die Mühe danken,

die Sie sich genommen haben, mir

das Buch zu übersenden.

Ich werde es mir sehr zu Nutzen machen,

und werde es Ihnen bald wieder

zurück zu schicken.

Ich bin, sehr geehrter Herr Professor,

mit dem besten Respekt, Ihr

ergebener Schüler, J. G. Bach.

Die Handschrift ist Ihnen

zurück gegeben.

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH

AD. DO. TETTELBACH



